



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 138. An resignatio ficri possit reservatis resignanti annibus fructibus beneficii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

aut Episcopus non est, careat potestate ita statuendi in bonum Ecclesie, iste modus sic statuendi pactationem aliquam includere videatur. Minus etiam recte ab Episcopo fieri videtur talis impositio novi oneris sine consensu beneficiati post collationem ei factam; cum in jure quæsitio alicui (quale est jam provisum de beneficio fruendi illo sine onere) regulariter præjudicari nequeat. Engels. h. t. num. 2. Zoëf. ibid.

Quæst. 137. An monasterium, cui incorporata parochia, dum in eâ investiri facit Vicarium, non tantum sibi reservare possit annuam pensionem, sed etiam auctis redditibus augere?

Resp. Respondet ex Abb. in c. cum Clerici. de pactis. affirmative Laym. in c. unic. h. t. id tamen intelligendum asserens, si auctio reddituum sit notabilis, & non uno tantum anno, sed pluribus durans, & nisi hæc auctio reddituum proveniat ex industria Vicarii, utpote cui diligentia sua non debet esse damnosa.

Quæst. 138. An resignatio fieri possit, reservatis resignanti etiam omnibus fructibus beneficii?

Resp. Fieri & admitti potest licite resignatio, reservatis resignanti omnibus fructibus, ita ut ad resignatarium solum jus & titulus beneficii transferatur. Azor. p. 2. l. 7. c. 21. q. 1. Paris. de resignat. l. 6. q. 1. num. 2. citans Card. Paris. conf. 39. n. 7. vol. 4. Ferret. conf. 73. num. ult. fitque id licite ex justa causa, qualis est, ut resignans habeat, unde commode vivat, & debita solvat. Azor. loc. cit. Paris. num. 5. qui etiam cum Rebuff. Sarnens. Mandos. dicunt, sic fructus resignanti reservari pro pensione & loco pensionis, quæ solet dari in subsidium vite. Unde tunc, ut Mandos. de annali. q. 30. num. 1. in supplicatione ponitur: Ut fructus loco pensionis reservare & assignare dignemini. Fieri tamen seu admitti non potest talis resignatio, nisi coram & à solo Papa, qui de beneficiis liberrimè disponere potest in omnibus, quæ non sunt juris naturalis aut divini; cum aliàs de jure communi beneficium dividi nequeat. c. majoribus. de præb. aut etiam cum diminutione conferri; qualiter divideretur, vel saltem cum diminutione conferretur, dum uni jus seu titulus beneficii confertur, alteri fructus reservantur. Quidquid autem fuerit olim circa usum talis reservationis, stante Trid. Sess. 24. c. 13. rarò ea conceditur, quin & passim negatur. Vide me de his omnibus accuratius in for. benef. p. 3. q. 418. & 419. ubi etiam qq. seq. in quibus beneficiis fieri solet; an requiratur exprellus consensus resignatarii, & alia.

Quæst. 139. An ab eo, qui de novo receptus in Canonicum, pro & in admissione ad possessionem Canonicatus, vel beneficii alterius possit aliquid exigere aut solvi. V.g. aliqua pecunia, fructus primi anni, convivium simileve quid pro Canonicis vel beneficiatis illius Ecclesie, seu in commodum illorum?

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. III.

Resp. Hoc non licere, quin & esse simoniacum non obstante statuto vel consuetudine etiam immemorabili. Arg. c. Jacobus. de Simonia, juxtaque Constitut. Pii V. quæ incipit. grave nimis. & Declarat. S. Cong. apud Garc. de benef. p. 8. c. 1. num. 83. & ipsum Trid. Sess. 24. c. 14. dixi in for. benef. p. 3. quæst. 748. citatis etiam pro hoc quamplurimis; quibus addit Reiffenst. h. t. num. 12. Barbol. de Can. c. 15. num. 24. Antonell. de Regim. Eccles. 4. c. ult. §. 1. num. 4. & alios. Accedit his omnibus novissimè Bulla Innoc. XII. quæ incipit: Ecclesia Catholica. Severissimè innovans illa Trident. & Pii V. Decreta, & consuetudines contrarias omnino abolens. Atque ita jam etiam prohibitum, & sublatam consuetudinem exigendi quicquam à noviter receptis Canonicis convertendum in reparationem bonorum mensæ Capitularis, cum id cedat in commodum aliorum Canonicorum, dixi l. c. n. 2. An autem & qualiter à Trid. approbetur & valeat consuetudo & statutum solvendi quid (absque eo tamen, quòd exigatur pro ipsomet ingressu seu admissione) convertendum in usus pios, veluti pro fabrica, & augendo cultu divino, dixi ibidem. Item qualiter stante memorata Bulla Innoc. XII. non videatur subsistere, quod ait Less. passim videre se non servari, quin & ignorari citatam Bullam Pii V. quodque ait Pirh. quòd etsi cit. c. Jacobus. reprobetur consuetudo exigendi prandium vel aliud quid temporale pro receptione Canonicorum; hoc tamen passim non observari, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Germaniæ; id inquam, dixi cit. n. 2. Item qualiter dampari non possit consuetudo tempore receptionis ad Canonicatum dandi aliquid temporale citra obligationem & exactionem sponte ac liberè, nullo pacto interveniente, etiam cedens in usus proprios Canonicorum; cum, quòd gratis oblatum, gratanter recipi possit, ut Gl. in c. dilectus. de Simonia. Id, inquam, dixi l. c. n. 3. ubi etiam notavi, quòd ex Rebuff. ait Garc. l. c. n. 93. non videri simoniacum, coactè & non voluntariè, quia resisti nequit, dandi aliquid pro admissione ad possessionem; eò quòd sit redemptio aliqua vexa. Vide me de his omnibus accuratius cit. q. 748.

Quæst. 140. Quid sit circa annatas solvendas Sedi Apostolicæ?

Resp. Annatæ (quo nomine veniunt fructus primi anni ex beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis & ab Eadem impetratis, ipsius Camera persolvendi; & quarum usus est perantiquus, jam à tempore Concilii Viennensis, celebrati anno 1311. ut Paris. de confident. beneficiat. q. 9. num. 61. Nicolarts in Concord. Germ. tit. 2. du. unio. §. 1.) licite ac justè exiguntur citra omnem simoniacæ pravitatis suspensionem, ut boni Catholici omnes contra Guimier. in sua Gl. ad pragmat. sanction. de annal. in princ. v. annatarum. Duaren. de benef. l. 7. c. 3. usum annatarum dicentes simoniacum, & quosdam apud Azor. loc. paulo post citand. valde sordidè & injuriosè Sedi Apostolicæ de annatis scribentes. Utpotè quæ summo Pontifici (etiam, ut ait Delben. de immunit. Eccles. p. 1. c. 8. du. 30. num. 1. ex Azor. p. 2. l. 7. c. 12. q. 1. jure divino, saltem scripto, aut saltem ex eo originem trahente, ut alii, & ut patri in spiritualibus & pastori Episcopoque universalis Ecclesie, ut Delb. loc. cit. n. 2. & 7.) debentur ad sui suæque Curie sustentationem.

K

stenta-